

bus, ut superpelliceum, et Stolum sumat, tanquam vestes propriae ad talem functionem. Reputatur hic actus non continuus, sed contiguus Missae, ideoque durat adhuc eadem ratio deferendi planetam, et alias vestes adhibitas in Missa, Sarnell.
Commentar. de Ritu Missae.

DE
COMMUNIONE PASCHALI,

TITULUS VICESIMUS QUINTUS.

SUMMARIUM.

1. Constituto de Communionem Paschali.
2. S. Fabianus Papa constituit trinam Communionem annuam.
3. Communicare in anno semel est de praecepto Ecclesiae.
4. Parochi monere debent populum de hac obligatione.
5. Liber status Animarum habendus a Parocho.
6. Conficiendus tempore Quadragesimae.
7. Qui non communicant, invitandi ad Ecclesiam.
8. Possunt cogi a Parocho, et ab Ordinario.
9. Signum communicandorum in libro.
10. Quodnam sit tempus Paschale?
11. Tempus paschale ab Eugenio IV. assignatum.
12. Qui intra hoc tempus non communicaverint, poenas Eugenii incurrunt.
13. Mores diversi, et consuetudines circa hoc tempus.
14. Parochus potest rationabiliter prorogare hoc tempus.
15. Causae rationabiles hujus prorogationis.
16. Schedulae modus pro dignoscendis qui non communicaberint.
17. Schedulas dispensare et colligere spectat ad Parochum.
18. Communicantes in peccato mortali non satisfaciunt praecepto.
19. Delinquentes admonendi a Parocho non semel, sed pluries.
20. Post spretam admonitionem denunciandi sunt Ordinario.
21. Ad Ordinarium spectat citare.
22. Pascha celebratur die Dominico Resurrectionis.
23. Interpretative potest sumi pro antecedenti, et consequenti hebdomada.
24. Pastor tenetur cognoscere oves suas.
25. Ministratio Paschalis debet fieri per Parochum.
26. Impedimenta quae dispensant Parochum ab administratione.
27. Satis est si sit suffectus Capellanus Curatus.
28. Fideles alienae Parochiae remittendi sunt ad suam Parochiam.
29. Si Parochus communicet non sibi subditos, facta debita diligentia, non peccat.
30. Qui communicat in aliena Parochia, non satisfacit praecepto.
31. Parochi admoneant ab Altari ut alieni recedant.
32. Nisi Parochus libertatem illis relinquat.
33. Peregrini, et iter agentes an teneantur ad leges loci?
34. Vagi quinam sint?
35. Peregrini quinam sint?
36. Peregrini habent certum domicilium.

- 37 Vagi sunt communicandi in loco, in quo reperiuntur.
- 38 Peregrini ubique communicando satisfaciunt praecepto.
- 39 Peregrini non possunt cogi ad Parochiam loci.
- 40 Decretum Eugenii IV. interpretatum.
- 41 An peregrini, et vagi teneantur adire Cathedralē?
- 42 Quaestio de Communionē Paschali in Cathedrali.
- 43 Decretum Innocent. XI. quod non satisfaciunt.
- 44 Opiniones Doctorum cedere debent Decretis Papae.
- 45 Rota Romana suscepit Decreta Pontificum.
- 46 Advenae et incolae scribendi in libro Parochiali.
- 47 Liber praecipuus ad hoc conficiendus a Parocho.
- 48 Notandi in eo qui capaces sunt Communionis.
- 49 Paschales dies sunt plures.
- 50 Hebdomada antecedens, et subsequens est Pascha.
- 51 Infirmi non dispensantur a praecepto Paschali.
- 52 Debent satisfacere. sed non per modum Viatici.
- 53 Quinam veniant nomine aegroti?
- 54 Parochus negligens ministrare Infirmo tempore Paschali peccat.

1 2 3 Constitutio haec apud fideles notissima publicata fuit anno 1215. in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. *ut in cap. 12. de Poenit. et remiss.* et ut refert Cabassut. *ad Conc. 4. Later. Can. 21.* Ex quo refrigescente charitate Fidelium, plures cessare coeperunt non solum a quotidiana sed etiam a frequenti, et a trina in anno communionē, quam usque a tertio saeculo statuerat S. Fabianus Papa, ut legitur *in cap. etsi 16. de consecr. dist. 2.* Igitur de praecepto Ecclesiae, est communicare semel in anno, sicuti de praecepto Divino sumere Eucharistiam saltem semel in vita, Cleric. *d. decis. 14. num 19.*

§. I. Curet autem Parochus, ut in Quadragesima per se, vel per alios Concionatores populo opportune denuntietur Constitutio Concilii Lateranensis sub Innocentio III. quae sic habet.—Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus, ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum, alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens Christiana careat sepultura, etc.

4 Ecclesia itaque praecipit, ut quotannis, tempore Quadra-

gesimae, renovetur memoriae Fidelium ista obligatio, non per publicum Praeconem, sed per ipsum Parochum, si tempore Quadragesimae conciones habeat populo suo, vel per consuetum Concionatorem, ut omnibus, et singulis innotescat. Fit autem haec publicatio tempore Quadragesimae, eo quia tunc ob concionem Fideles frequentius ad Ecclesiam conveniunt, et Pascha prope est.

§. II. Ut igitur hoc salutare Concilii Decretum inviolabiliter servetur, descripta Parochus habeat nomina suorum Parochianorum; et qui dicto tempore non communicaverint, et post octavam Paschae eos, qui propriae salutis immemores, saepius admoniti, non obtemperaverint, Ordinario suo denunciēt.

5 6 Inter libros habendos, et conficiendos a Parocho, locum habere debet ille de statu Animarum, ut jam diximus in ultimo paragrapho primi Tituli horum Commentariorum; et ut videre est in fine Ritualis, ubi agitur *de formuli scribendi in libris habendis apud Parochos.* Liber status Animarum conficiendus est a Parocho in principio Quadragesimae, nisi adeo vasta, et numerosa sit Parochia, ut longius temporis spatium requiratur: tunc enim rationabiliter anticipari potest ista descriptio.

7 8 Per se ipsum (nisi juxta de causa impediatur) debet facere istam descriptionem, habitationes, et domus quascumque visitando, et personaliter invisendo quamcumque personam, sive Masculum, sive Foeminam, et eas interrogando, num communicent; et cum inveniatur pueros ad discretionis annos perventos, qui non communicent, eos ad Ecclesiam invitare debet, et cogere, ut ad instructionem audiendam conveniant: quae instructio danda est ab ipso Parocho, ut suo tempore ad Sanctam Eucharistiam accedant.

9 In libro igitur praestripto habeat nomina suorum Parochianorum, qui Communionē reficiendi sunt, praecipue signo illa notando, v. gr. lit. C. quae significat *Communicandus.* Quo peracto, facile sibi erit dignoscere quot ejus Parochiani qui Sacra Eucharistia reficiendi in Paschate. *Act. 2. Synod. Dioeces. 8.* atque ita parare particulas in sufficienti numero pro dicta Communionē generali.

10 11 12 Inquirendum est hic quodnam sit tempus Paschale, intra quod Fideles communicare teneantur, ut praeceptum Ecclesiae adimpleant. Fagundez mirabiliter hanc Quaes-

tionem tractat, *Praec. 3. lib. 1. cap. 5.* de jure communi, nomine Paschatis intelligitur ipse dies Paschatis cum octo proximis praecedentibus, et octo proximis subsequentibus diebus: et sic de jure intelligendum est diem Paschatis quoad hunc effectum comprehendere totum hoc tempus ab Eugenio IV. assignatum, ut referunt Major. *in 4. dist. 7. quaest. 2.* et Tabiena *verbo communicare, num. 7.* Navar. *Manual. cap. 21. num. 45.* Silvester *verbo Eucharistia 3.* et Cajetan. *in summ. verb. communicatio, Ledesma in 4. quaes. 14. art. 5.* Suar. *tom. 4. 3. par. disp. 22. sect. 2.* Henriq. *tom. 2. lib. 8. de Euch. cap. 45.* et Azor. *tom. 1. Instit. Mor.* Constitutio insuper Eugenii Papae est XX. quae insipit, *Fide digna, etc.* Unde ille, qui intra hoc tempus, sine legitimo impedimento, et culpa sua hoc praeceptum non adimpleverit, poenas in *praedict. cap. omnis, etc.* impositas, incurrit post latam Judicis sententiam. Ubi notandum venit, utramque poenam, tam ejectionis ab ingressu Ecclesiae, quam privationis Ecclesiasticae sepulturae impositam a praedicto cap. sententiam a Judice ferendam requirere, ut optime advertit Suar. *tom. 4. de poenit. in 3. par. disp. 36. sect. 8. num. 2.* et Fagundez loco supra allegato.

13 14 In aliquibus vero locis consuetudo diu observata derogavit huic juri, ut notat idem Fagund. *loc. citat. et in Lusitania,* atque in tota Hispania sufficit, ut quis communicet in quolibet die Quadragesimae, ut praeceptum Ecclesiae adimpleat; vel juxta morem Dalmatiae, post medietatem Quadragesimae, teste Pace Jordan. *tom. 1. lib. 3. tit. 3. num. 47. 48.* ubi notat per allegat. a Cleric. *d. decis. 24. num. 6. 7.* ex rationabili causa posse a Parocho hoc tempus suis Parochianis prorogari, et appellatione Parochi venit Papa in toto Mundo, Episcopus in sua Dioecesi, et Parochus, qui habet distinctam Ecclesiam subjectam suae Ecclesiae Parochiali.

Quaenam vero sint causae rationabiles, propter quas possit Parochus prorogare hoc tempus, relinquuntur dignoscendae ab ipsomet Parocho. Certe una esset, si Parochianus esset peccatis illaqueatus, vel excommunicatus, vel aliqua censura ligatus, a quibus absolutionem, seu commissionem expectaret, quod debet intelligi respectu hujus, aut illius Parochiani, non autem respectu totius Parochiae, quia id esset disponere contra jus commune, Fagund. *d. n. 4. Barbos. d. c. 20.*

16 17 18 Modus consuetus dignoscendi Parochianos, qui communicaverint, vel non, a Rubrica non explicatur, sed id solet fieri per schedulas tradendas Parochianis in actu communionis, quae schedulae, seu *Bolletini* cum per ipsum Parochum dispensari debeant, et distribui (ad illum enim tantummodo hoc spectare pronuntiavit Rota *decis, 226. num. 2. pag. 1. rec.*) ita transacto tempore Paschali colligi solent a Parocho de Domo in Domum, et illarum numerum cum nominibus in

libro jam dicto adnotatis conferens, facile cognoscit, an singuli praeceptum impleverint in foro fori: nam posset dari casus, in quo, licet aliquis communicaverint in Ecclesia Parochiali tempore praescripto, adhuc praecepto non satisfecerint in foro conscientiae, atque hoc esset quando quis communicaret cum conscientia peccato mortali scienter maculata, quia tunc praecepto communionis non satisfaceret, ut habetur ex proposit. damnata ab Innocentio XI. *sub die 2. Martii 1679.* quae est *num. 5.* dicit *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem,* super quae vide Carden. *num. 55.* et alios.

19 20 21 Cognitis a Parocho delinquentibus in hoc praecepto, onus illius est, eos admonere non semel, sed bis, et ter, ut accedant ad adimplendum praeceptum: Quod si spreverint admonitionem, et non obtemperaverint, tunc legitime potest Ordinario suo illos denunciare, non vero ultra procedere, quia post hoc nihil aliud praecipit Rubrica nostra, et quae remanent faciendae, ad Ordinarii facultatem unice pertinent, nempe citare, et sententiam excommunicationis ferre suis loco, et tempore, quod a Parocho fieri nequit.

§. III. Dabit quoque operam Parochus, quoad ejus fieri potest, ut ipso die Sanctissimo Paschae communicent; quo die, ipse per se, nisi legitime impediatur, Parochiae suae fidelibus hoc Sacramentum ministrabit.

22 23 Cum vere communiter ab Ecclesia dies Paschae celebretur Dominica Resurrectionis D. N. J. C. in qua Univer- sus Mundus gaudio repletur, de congruenti venit, ut in hacmet die celebrandum sit Sacrum Convivium a Fidelibus, accedendo ad suscipiendam Sacram Eucharistiam. Praeceptum enim Ecclesiae litteraliter intelligi debet pro hac die, dum dicit: *Ad minus in Pascha,* Conc. Lat. *ibid.* Hodie enim Pascha nostrum immolatus est Christus, licet interpretative possit sumi pro tota hebdomada antecedenti, et subsequenti. Ideo Parochus totis viribus conabitur, ut suadeat hac die faciendam esse Sacram Communionem. Si vero Parochiani pro hac die non obtemperaverint, non ideo puniendi sunt, cum Rubrica haec non sit praeceptiva, sed loquatur per modum consilii.

24 25 Quo vero ad ministrationem per se ipsum, sciendum est, quod Pastor tenetur cognoscere oves suas; et cum haec dies sit quodammodo recognitio et lustratio totius Gregis, necesse est, ut per ipsum Pastorem haec fiat; nam non nisi bonum effectum parit haec personalis cura; si enim debet, ut ali-

vi diximus, morbosas obes arcere, et indignas repellere, cum ipse solus sit, qui eas cognoscere de jure teneatur, ipsi soli incumbit onus hac die, et hac occasione eas recensere, et invisere, S. Carol. *Act. Inst. pro Sacra Euchar.* graviter Parochos hortatur ad hanc personalem distributionem.

26 Legitima impedimenta, quae occurrere possunt, et Parocho obesse in hoc casu, non refert hic enumerare; multa enim esse possunt et extemporanea, quae nec ipse Parochus praevidere quandoque poterit.

27 In his dispensatur rationabiliter, si personaliter non ministrabit; ad cujus supplementum satis est si suffectus remaneat Capellanus Curatus, cui post Parochum incumbit hoc munus: et qui praxim sufficientem habere possit in dignoscendis Parochianis. Si vero Parochus non habeat Capellanum, et ipse ministrare non valeat, Ordinarii cura est providere.

§. IV. Alienae vero Parochiae fideles ad proprium Parochum remittet, praeter peregrinos, et advenas, et qui certum domicilium non habent: quibus ipse Sacram praebebit Communionem, si ad illam accesserint rite parati; vel ubi est ea consuetudo, eos ad Cathedralis Ecclesiae Parochum remittet.

28 29 30 31 32 Supposito, quod Parochus singillatim cognoscat Parochianos suos, hoc facile praestare poterit, ut remittat ad propriam Parochiam Fideles alienae parochiae: Sed ubi numerus Parochianorum sit magnus, difficile fieri poterit. Optimum est super hoc decretum illud S. Caroli. editum in *Conc. Prov. 11. tom. 1. decr. 12.* ut singulis diebus, cum in Pascha Parochi administraverint Eucharistiam, antequam illam cuique praebeant, ad Populum conversi, denuntient, ut si quis eorum, qui adsunt, Parochiae suae incola non sit, ad suam quisque Parochialem Ecclesiam abeat, ubi quemadmodum canonum sanctionibus statutum est, eo tempore Sacram Eucharistiam sumat. Adhibita vero sedula diligentia, si non sibi subditos communionem reficiat, non peccabit, Engel. *Manual. Paroch. par. 3. cap. 3. n. 9. et 10.* Sed qui in aliena Parochia communicabit, non satisfaciet praecepto Paschali, quia per *cap. omnis utriusque, etc.* decretum est, ut quisquis a proprio Sacerdote corpus domini in Paschate accipiat, Fagund. *d. num. 5.* Si vero Parochus quibusdam suis Parochianis liberum relinqueret aditum, ut a quibus maluerint, hoc Sacramentum accipiant in Paschate, tunc praecepto satisfacerent,

quia sicut Parochus potest dare licentiam suis Parochianis, ut alia Sacramenta v. gr. Matrimonii, Poenitentiae, etc. ab aliis accipiant; ita etiam potest eam concedere ad Sacramentum Eucharistiae, cum par sit ratio in omnibus, Fagund. *d. n. 5.*

33 34 35 36 37 38 De Peregrinis modo venit tractandum. Utrum Peregrini, et iter agentes teneantur ad leges loci, per quem transeunt, et ad quem perveniunt, magna quaestio est inter Doctores, et Fagund. *d. pag. 1. lib. 1. cap. 8.* eam doctissime tract. Maximum momentum est in dignoscendis qui vere Peregrini sint, et quinam Vagi, seu Vagabundi. Horum discrimen affert Fagund. *loc. citat. num. 4.* Vagi dicuntur qui nullibi certum habent domicilium, sed sunt totius Orbis accolae Peregrini vero, et iter agentes domicilium certum habent. Videtur igitur, quod Rubrica nostra de prioribus intelligat, eo quia subdit; *qui certum domicilium non habent.* Isti itaque sunt communicandi in loco, in quo reperiantur tempore Paschatis, et tenentur ad leges, et consuetudines loci: cum enim nullum domicilium habeant, illud ipsum domicilium quoad omnia acquirunt ubicumque inveniuntur; aliter enim viderentur esse exempti ab omnibus legibus, et statutis, et consuetudinibus, quod esset absurdum, Sancius *lib. 3. de matr. disp. 18. num. 15. Sot. in 4. dist. 18. quaest. 4. art. 2.* Hoc pacto communicando Peregrini, et Vagi satisfaciunt praecepto, dummodo rite parati sint, ut praecipit Rubrica; nempe bene dispositi per Sacramentalem Confessionem, sine peccato mortali, et cum aliis circumstantiis, quae in communicando, pro praeparatione ad tantum Sacramentum requiruntur.

39 40 Cum vero Parocho non fiat injuria, si tales Personae, quae nec in illo loco habitant, nec animum habent figendi domicilium, in Parochiali Ecclesia non communicent, cum vere non sint sui subditi spirituales, et propria Parochia in eo loco careant: ideo non possunt cogi tales Peregrini ad adeundam Parochiam loci: Rubrica enim loquitur per modum Concilii, dicens; *Si ad illum accesserint.* Nec obstat decretum Eugenii IV. relat. a Fagund. *d. l. num. 5.* hujusmodi vagos, et Peregrinos adipisci incolatum ad Sacramenta, et Eucharistiam tempore Paschali, licet ibi modico tempore steterint, quia hoc concessum fuit a Papa ad favorem Peregrinorum, et ad tollendos eorum scrupulos: non tamen eos obligavit, ut alienis Parochiis subjicerentur: sed reliquit eos juris communis dispositioni, Sanch. *lib. 3. de matr. disp. 23. n. 1. Rodrig. 1. tom. qq. Regul. quaest. 56. art. 6.* et alii apud Fagund. *d. l.*

41 Attamen volun nonnulli Doctores per allegat. a Fagund. *d. num. 4.* quod Peregrini. Advenae, et Vagi teneantur pro Sacramentis confluere ad Ecclesiam Cathedralis, et Matricem: sed Rubrica nostra cum cognoverit non posse Fideles hujus-

modi cogi ad hoc faciendum, sapienter consuetudini locorum se conformavit, inquit: *ubi est ea consuetudo*: nolens definire an teneatur, necne? Certe S. Carolus praecepit, curandum esse ab Episcopo, ut communicent; atque ideo videtur, quod haec communicatio debeat fieri in Cathedr. *Conc. Prov. 2. T. 1. decr. 12.*

42 43 44 45 Quaestio satis famosa est: An qui communicat tempore Paschali in Ecclesia Cathedrali, et non in propria Parochia, satisfaciatur Praecepto? Doctissime eam tractat inter recentiores Clericat. *d. dec. 48.* et contra opiniones Barboesae, Fagund Coninck, et aliorum Doctorum, qui id fieri posse dоссent, affert rationes, et doctrinas satis concludentes, quibus demonstrat non satisfieri Praecepto, nisi hoc fiat vel de manu Episcopi, vel de licentia proprii Parochi, Clericat. *dict. n. 18.* Imo ad corroborandam Doctrinam suam affert Decretum S. C. Concilii de anno 1640, et declarationem S. M. Innocentii PP. XI. anno 1682, qua declaravit, non satisfieri praeecepto Communionis Paschalis a communicantibus in Basilica Lateranensi, vel Vaticana, vel Nationali, sed esse communicandum in propria Parochia, sub qua quisque degit, ut testatur de certa scientia Pignatell. *Consult. T. 7. cons. 89. num. 18.* quibus Decretis, subdit Clericat. *d. l. oportet, ut cedant opiniones Doctorum privatorum, cum ea semper reverenter suscipiat, et observat Rota Romana, ut habetur coram Buratt. dec. 479. num. 3.* ea ratione, qua ligant in utroque Foro etiam si non sint publicata, Roderic. *Quaest. Reg. tom. 1. quaest. 11. art. 2.* Ferentill. *in addit. ad d. decis. 479. n. 21.*

§. V. In caeteris vero servabit ea, quae in libro de statu Animarum, ut infra, praescribuntur.

46 47 48 In libro de statu Animarum praescribitur Parocho, ut fideliter adnotet nomina suorum Parochianorum, an sint Incolae, vel Advenae, et an permanentes, vel per transitum ibi reperiantur. Librum praecipuum conficiendum a Parochis praecepit S. Carolus *Conc. Prov. 11. tit. 1. Decr. 12.* in quo adnotentur nomina, cognomina, et originis, seu Domicilii locus: sicuti servabit ordinem adnotandi eos, qui ad Sacram Communionem initiati sunt, et sunt capaces hujus Sacramenti, ut in fine hujus libri explicabimus.

§. VI. Aegrotis quoque Parochialibus, etiam si Com-

munionem extra praescriptos Paschales dies sumpserint, in Paschalibus diebus illam deferret ac ministrabit.

49 50 Notanda hic sunt verba illa: *Extra praescriptos Paschales dies, et in Paschalibus diebus.* Quibus videtur, quod et ipsa Rubrica declaret, unum non esse tantummodo diem Paschalem, sed plures; ex quo corroboratur opinio illorum, qui pro tali tempore admittunt hebdomadam antecedentem, et subsequentem Paschae, ut superius suo loco diximus.

51 52 Ulterius apparet ex hac Rubrica, non esse dispensatos Infirmos ab observatione praeecepti Paschalis si enim commode fieri potest, debent Infirmi satisfacere Praecepto, sed non per modum Viatici: Viatici enim sumptio est de necessitate alterius praeecepto.

53 54 Aegroti nomine venit quicumque ab Infirmis corporis detinetur, nec valet ad Ecclesiam accedere, non vero ille, qui alia de causa, Domi, vel in loco immuni degit, nec inde exire potest, aut vult: Asservatur enim Sanctissima Eucharistia in Tabernaculo ad adorationem pro iis, qui ad Ecclesiam conveniunt, et ut Infirmis facile ministretur quavis diei, vel noctis hora, S. Agustinus *lib. 1. de visitat. Infirm. cap. 4.* Quod si Parochus neglexerit administrare Sacramentum Infirmi, tempore Paschali, peccabit mortaliter, Berton. *de negligent. part. secunda articul. 32. num. 15.*